

Franckesche Stiftungen zu Halle

De Scholarum Publicarum Antiquitate Et Ulilitate Programma, Quod Ad Inaugurationem Novi Neo-Ruppinensis Lycei Rectoris, Die XXX. Dec. a.c. horis ...

Pape, Franz Sigismund

Neo-Ruppini, [1729?]

VD18 13448293

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha55-1-197989](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha55-1-197989)



130. D. 13

130 D 13

18

DE
SCHOLARUM PUBLICARUM
ANTIQUITATE ET UTILITATE
PROGRAMMA,

QUO AD
INAUGURATIONEM
NOVI NEO-RUPPINENSIS
LYCEI RECTORIS,

Die XXX. Dec. a. c. horis antemeridianis
SOLENNI RITU IN AUDITORIO MAJORI
CUM DEO FELICITER PERAGENDAM,

Omnes bonarum literarum Fautores,

DN. PATRONOS COLLEGAS,
ONNESQUE QUI SCHOLÆ FA-
VENT LITERATOS CIVES ATQUE

AMICOS,

Ea qua par est humanitate & observantia decenter

invitat,

FRANCISCUS SIGISMUNDUS PAPE,

Past. prim. Inspector & Schol. Ephorus.

NEO-RUPPINI,

Typis, WENDELINI MULLERI, Reg. Pruss. Typog. priv.



Q. D. B. V.



Cholarum apprime bonam constitutionem, rectioremque in illis Juventutis educationem & informationem, non tantum in votis & optatis habere, verum etiam omnem in curandis iis navare operam, summæ necessitatis esse, nemo, cui Ecclesiæ & Reipublicæ salus curæ cordique est, ibit inficias. Quantum enim ex scholis bene constitutis Christianæ Reipublicæ per omnes ejusdem Hierarchias eveniat commodum, quantaque a scholastica selectioris Juventutis educatione pendeat salus, vix ac ne vix quidem aut excogitari aut verbis exprimi poterit. Sunt scholæ, felicissima Minervæ domicilia, Musarum sedes, palæstra, ubi victoriam deportare palmamque super vitiorum sordes mentisque ac bonarum artium cæliginem arripere candide & docetur & felicissime discitur. Quemadmodum igitur ex horto bene curato, ubi omnibus in plantis, floribus legitime dispositis arboribusque, hortulani diligentia sua reliquit vestigia, itidem ex agris bene excultis commodum oritur Patri familias: Ita ex scholis seminariis tanquam felicissimis, magnum in Rempubli-

publicam redundare emolumentum, luce meridiana clarius est. Tolle enim scholas, tolles quicquid in urbe boni, atque devastatis bonarum artium domiciliis, in quibus educanda Juventus, tenellæ illæ plantæ, antequam ut ramosæ ad integrum robur excreverint arbores, optime ad addiscendas bonas artes, & ad veram pietatem perducī possunt, irreparabile in Ecclesiam DEI dimanabit damnum. Ut enim substructionis atque navigii fundamentum stabile & firmum esse oportet, alioquin in ædificio, quicquid quis superstruere velit, derepente corrueret, navigium quoque vitiato fundo facile mergeretur: Ita nemo in liberalium scientiarum amplissimo campo inque cognoscendis divinis veritatibus felici incedere poterit pede, nisi in scholis Christianis solidis gradibus incedere, & ab una scientiæ veritatisque divinæ cognitione, ad aliam pervenire, pia & fideli Præceptorum didicerit instructione. Quicquid igitur petulans mendacia evomendi, maledicendique scholis, hominum depravatorum libido inferre unquam potuit, illud unanimi bonorum virorum consensu, & experiētiā, rerum optimo teste, facile destruitur. Agnoverunt enim sana ratione præditi, non tantum hodiernis temporibus Christiani, scholarum necessitatem pariter, & utilitatem; Verum antiquissimis quoque temporibus omnes benemerati, lumine intellectus ornati viri, Patres de filiorum bona educatione solliciti, qui non tantum in constituendis scholis domesticis, omnem, quam potuerunt adhibuerunt operam, verum & *de publicis formandis* admodum fuerunt studiosi. Patriarchas Sanctos quod attinet, virorum istorum pietas singularisque DEO inserviendi filiosque DEO consecrandi & adducendi cupido dubitare nos non finit, quin liberos in variis sapientiæ & pietatis regulis erudiverint, atque sic scholas instituerint domesticas; An vero illis Patriarcha-

rum temporibus publicæ fuerint institutæ scholæ, etsi satis non liquet, hinc inde tamen hac de re disputatur inter Eruditos. Studet enim *Jacobus Altingius*, qui quatuor orationibus Ebræorum Rempublicam descripsit scholasticam, ex *Josephi Maimonidis*que verbis & testimoniis scholarum publicarum antiquitatem ad *Abrahami* tempora usque deducere, deque *Isaaco* perhibet, quod haud dubio, Patris, Ægyptios & Phœnices Arithmeticam, Astronomiam & Philosophiam edocentis, præferit vestigia, dictisque his, de *Jacobo*, oratione prima sic loquitur. Quamprimum ex idololatræ Labanis excesserit familia, fratri etiam reconciliatus in *Succho* domum sibi & acquisitioni sue tuguria excitavit, id est, ut *Philo* vertit: ὄμον καὶ αὐλὰς τῆς κοπῆς, vel ut *Uzielides* בֵּית - מוֹרֶשֶׁת, Academiam: An vero inde pro scholarum publicarum Patriarcharum tempore institutarum certitudine solidi quid possit colligi, maximopere est dubitandum; Interim in erudiendis domesticis, Patres illos Sanctos admodum fuisse occupatos, certum est & quod verissimum. Quærent alii scholarum publicarum in gente Ebræa originem, tempore *Josue*, interque loca, in quibus tum temporis literarum floruerint studia, aut scholæ fuerint ac Academiæ publicæ, primo loco *Kiriath-Sepher*, *Debir* quoque adpellata, item *Kiriath-Senna*, commemorari solent, id quod *Nicolaus Serarius* ad libr. *Josue* recensente celeberrimo *Buddæo Hist. Eccl. V. T. Part. I. p. m. 941.* defendere voluit strenue, etsi quæ profert, incerta sint & maneant omnia, neque credibile sit, *Kiriath Sepher*, observante *Hugone Grotio* eandem fuisse urbem, quam *Xenophon* Phœnicum denominavit *Gymnasium*, dum *Xenophontis* *Gymnasium* non scholam literariam significasse, sed locum exercitiis corporis destinatum, diserte probavit *Hermannus Conringius* in *Antiquit. Acad. suppl. 3. p. 211.* Quicquid igitur de scholis horum temporum publicis Eruditi inter se disce-

Et quid mirum, quod scholarum utilitatem secum perpendentes inter omnes populos viri prudentes, de illis constituendis adeo fuerint solliciti? Brevi effectum inde est tempore, ut nulla fere terrarum orbis pars superesset, ubi non tantum Sapientum ad alios erudiendos imbuendosque bona mente, coirent societates, verum ubi quoque de procurandis, conservandis, meliorandis scholis curam adhuc habeant Patres Conscripti Christiani maximopere devenerandi, testante optima rerum magistra, quotidiana nimirum experientia, ita ut necesse non sit, neque originem scholarum Christianarum, quibus temporibus illæ primum publice sint institutæ, indagare, neque investigare, ubi singulari eminentique præ aliis floruerint gradu; Laudemus autem summum omnium, bonorum largitorem optimum, quod inter nos quoque non tantum scientiarum emporium fundare, verum quod scholam

nostram

nostram ad hæc usque tempora florentem, fidelissimis meritisque Præceptoribus condecoratam conservare voluerit gratiosissime. Habet schola nostra, quod per Dei clementissimi gratiam gaudeat. Gaudere enim potest de Patronis, & Fautoribus, quibus nihil prius nihil antiquius est, quam salus scholæ exoptatissima, qui piis Præceptoribus favent, & discipulis munera beneficiaque largiuntur cumulatissima. Gaudeat igitur schola, gratuletur sibi de Patronorum cura, qui prudenti & communicato consilio quoque agunt, ut munere aliquo scholastico vacuo existente, novos eosque eligant & constituent scientiarum Magistros pietatisque Doctores, quorum curæ & institutioni secure tradi queat amoena Juventus. Non est quod de veritatis testimoniis longe simus solliciti; Verbis enim meis ex assè ipsam respondere veritatem, judicabit quilibet, qui instituti nostri rationem consideraverit. Vocatus est ab *Amplissimo Civitatis nostræ Senatu me ipso consentiente, Vir Eruditione pariter & pietate conspicuus Dominus* M. JORDAN DUVE, *Rector* Lycei nostri per decem & quod excurrit annos meritisimus, multa laude dignissimus, ut in Ecclesia quæ hic colligitur Christo, *Diaconi* labores in se suscipiat Ecclesiasticos, ultimum scholæ nostræ oratione sua latina hodie dicens Vale, ejus in locum *Clarissimus & Doctissimus Dominus* CHRISTOPHORUS JOANNES DIETTERICUS HOPPE, scholæ nostræ per decennium fere, *Con-Rector*, impetrata a nobis vocatione legitima, pro mei quod mihi incumbit, officii ratione *Rector* a me publice decantandus atque constituendus erit. Qua occasione, *Vir Plur. Reverendus Dominus* Mag. JORDAN DUVE, valedicturus scholæ, de *Beneficiis scholæ nostræ intra decennium Rectoratus sui a Deo exhibitis, orationem* habebit *valēdictoriam*, indicante suo ad valedictionem audiendam benevole programme invitato.

tato-

tatorio. Excipiet hanc, mea, ædificationem totius auditorii respiciens oratio Ecclesiastico-Scholastica, vernacula nostra super Syrac. 50. v. 31. sq. 38.) habenda, quâ finitâ inauguralis latina: Vivam Doctoris Scholastici inprimis Rectoris proponens Ideam, erit percipienda. Facto hoc Institutionis opere, novus Rector Dn. CHRISTOPHORUS JOANNES DIETERICUS HOPPE, sua auspicali: de rei scholasticæ Impedimentis, oratione absoluta, toti actui tandem imponet finem.

Rogamus itaque iterum atque iterum PRÆNOBILIS-
SIMOS ET CONSULTISSIMOS CURIÆ PATRES CON-
SCRIPTOS, PATRONOS SCHOLÆ OPTUMOS, MI-
NISTERII COLLEGAS OMNESQUE CUJUSCUNQUE
ORDINIS LITERATOS, *Cives & scholæ Fautores, Benefacto-
res, atque Amicos*, ut sua præsentia actum hunc Introduction-
nis solennem illustrare & condecorare haud dedignari velint
benignissime. Interim, ut *summum*, quod deveneror *Numen*
CIVITATEM, ECCLESIAM, CURIAM, SCHOLAM,
diu florentes conservare, iisque omnibus gratiam ac bona,
affundere velit clementissime, opto, atque precibus a Deo
contendo ardentissimis P. Neo- Ruppini. Anno repa-
ratæ Salutis MDCCXXIX. die 29.



Die

Die Herren Stadt: Verordneten und die gesamte Löbl.
Bürgerschaftt unserer lieben Stadt seegne der Herr
aus Zion sammt allen Ihrigen. Amen!


Wertheſte Freunde in dem Herrn.


Es soll der zum *Reſtorat* einmüthig erwählte biß-
herige Herr *Con-Reſtor Hoppe* / auf den 30. Decemb.
vormittags von mich Ampts halber in hieſiger Schule
öffentlich *introduciret* und vorgeſtellt werden. Wenn ich
denn ſolche Handlung nicht nur mit einer gewöhnlichen
Lateiniſchen Rede zu verrichten mit Gott gedencke / ſon-
dern auch ihnen ſämptlich zur Erbauung / und unſerer
Schul: Jugend zur Erweckung / in der Schulen eine
Schul: Predigt / über einen gewiſſen Bibliſchen / aus
den *Syrach Cap. 50. v. 31. ſeq.* dazu erwählten Text, da-
bey zu halten / unter göttlichen Gnaden: Verleihung/
entſchloſſen bin; So habe Sie allerſeits / dieſer Hand-
lung mit beizuwohnen / und Ihre Liebe und Gewo-
genheit zu unſerer Schulen durch ihre Gegenwart zu
erkennen zu geben / dienſtfreundlich einladen wollen.
Ich empfehle Sie alle / nebst den Ihrigen / nicht we-
niger dieſe liebe Stadt / Kirche / Rath: Hauß und
Schule der theuren Gnade Gottes / wünſche Ihnen
auch allerſeits ein geſegnetes und von Gott beglück-
tes Neues Jahr / und verharre Ihrer aller


In aufrichtiger Liebe ergebener und ihrer aller
Heyl bey Gott ſuchender Lehrer

F. S. PAPE, Inſp.









130 D. 13

1018

